



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Eudoxius M. 5. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

dixisses. Sub idem tempus cūm Friderici II. Imperat. factionem castigasset, cum omni familiā urbe ejecta Sorianum venit. Sed exilium leve Angeli & non multò post morte Friderici libera patria fecerunt. Placuit tamē etiam præ hāc cælum, quod quò facilius videret, circa annū M.CC.LIV. oculos clausit. *Ex vitā apud Moriales D. Rosa.*

Nulla vel brevis hora subrepat, in quā non habeas memoriam Filii Dei pro tuā miseriā, & suā misericordiā Crucifixi. Quid faciet Dominus majestatis, si nos, qui cinis & pulvis sumus, tantæ misericordiā videris ingratos? S. Bern op. de char. c. 32.

S. EUDOXIUS M. . 5. Septembris.

CLamat EUDOXIVS illud hodie nobis: *Exeat Aula, qui pius esse cupit.* Certè quòd pietatem Christianam coleret, licet aulæ Imperatoriæ comes, aulā tamen ejectus est. Sed neque extra hanc ferre in EVDOXIO Diocletianus potuit probitatem, sed in vincula iussit abripi, quasi verò vinciri virtus posset. EVDOXIVS ubi adesse exploratores intellexit, nec dum notus mensæ admovit suæ, lautēque & perquam liberaliter habuit. Inde suus ipse jam proditor, lubens volens ad Imperatorem abiit, pugnasque edidit, quas sperare a voluntario Christi milite posset. Sed neque solus in aciem prodit. Prodiere cum Duce tam forti mille centum & quatuor, qui omnes ad tyranni pedes cum superstitione primò balteum, mox vitam etiam projecerunt. Atque hi quidem præivere triumphantem EVDOXIVM, qui ex equuleo veluti triumphali curru accepta pro cæli patriā vulnera jactabat. Secuti deinde sunt amici integerrimi MACARIVS & ZENO, hic in ipso loco supplicii ab

T EVDOXIO,

EVDOXIO, ille à BASILISSA EVDOXII conjuge ad triumphum pompam invitatus. Itaque non sæpè cælum tot armatos unà recepit. Agite tamen, ô Sodales Mariani ! non ideo subire cæli mœnia minùs contendite ; liberalior DEVS Romulo est ; coronam auferet, etiam qui ultimus transcendērit. *Ex Metaphr.*

Si fidem & fiduciam tuam jactes in liuores & vulnera Crucifixi, & in tua salutis usum conuertas memoriam Dominicae passionis, erit sanguis ipsius pretium redemptionis tuae, mors ejus conuertetur ad vitam, dolor ejus in gaudium tuum, in tuum honorem ejus opprobria. S. Bern. de char. c. 34.

S. ELEUTHERIVS ABB. 6. Septembris.

MInimam laudem à nostro calamo ELEUTHERIVS accipiet, qui maximam jam olim à Magno Gregorio accepit. Summa est, D. Gregorium sub ultimum verni jejunii diem, inedia, ob imbecilliores stomachum, succubiturum fuisse, nisi pulpam latranti ELEUTHERIVS preces suas objecisset. Id beneficium Gregorius non modò stylo sed facundâ etiam picturâ in templo locutus est. Quin & mortuum ajunt ab ELEUTHERIO precibus denuò animatum ; sed nos dæmoni ereptam prædam laudamus. Fortè ex itinere Divus ad sacrum Virginum Asceterium diverterat, in quo puer agebat atri genii obfes. Non ausus est eâ nocte malus hospes puerum torquere, sanctionem hospitem veritus. Itaque ille domum patrum suum sequitur. Hic etiam pacem crederes : sed induciæ tantum erant. Dum enim ELEUTHERIVS alieni cœnobii vires elevat, suas laudat, redux velut ex insidiis hostis solo adolescentulum affligit